

cere, et in diiudicaudis causis litigantium ad illas respicere
haud dubitauerint. Accedit, quod ius Saxonum in Polo-
nia inualescens in dies maiora incrementa acceperit. Boles-
laus enim, qui pudicus cognominatur, probe intelligens,
cum aduentantibus Germanis haud parum vtilitatis et com-
modi in Poloniam profici, simulque cum ipsis artes, op-
ficia, scientias, ne dicam morum ciuitatem et humanita-
tem accersiri, ex ratione quadam politica circa annum 1257.
vrbem Cracouensem iure Saxonico seu Magdeburgensi sta-
biliuit, vt eo plures Germanorum coloniae in Poloniā al-
licerentur, et ad sedem ibi figendam inuitarentur. Vid. DLV-
GOSSVS l. c. L. 7. p. 750. „Vrbem suam Cracouensem Boleslaus
„pudicus Cracouensis et Sandomiriensis Dux ad incrementa,
„quae sub Polonis et iure Polonio assequi non poterat, per-
„ducturus, ius illi largitur Srzedense seu Theutonicum, ad-
„vocatumque in ea constituit.“ Add. FRANCISCI MARINII diff.
de scopo Reipubl. Polon. cap. 7. Eiusmodi Germanorum co-
lonis per plenissimum iurium suorum exercitium in ipsa Po-
lonia inducta libertas, effecit, vt eo frequentior confluxus
aduenarū ibi fieret. Testantur enim Annales Wratislauien-
ses ad a. 1264. ap. DE SOMMERSBERG l. c. Tom. II. p. 173. eo
tempore permagnum numerum Germanorum in Poloniā
transmigrasse. „Tanta enim (inquit annalista) fames erat in
„Allemania, vt multi relictis agris et possessionibus suis irent in
„Poloniā.“ De fame autem, quae tanquam causa huius
transmigrationis adducitur, apud alios chronographos nihil
reperio. Quanta vtilitas et quanta commoda ex accersitio-
ne harum coloniarum redundauerint in Poloniā, conspici-
tur ex DLVGOSO l. c. L. 9. p. 1082. qui ita: „Regnum Poloniae
„tam in vrbibus, quam in vicis et rure per Almanos et fo-
„renses cultum et habitabile effectum, et hominibus Poloniis
„mitia magisque iusta et modesta prouenere ingenia.“

§. II.